



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. III. In sententiâ Aristotelis partes proportionales & etiam determinatæ necessariò videntur futuræ simpliciter infinitæ actu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

omnibus casibus, quando calor vel frigus serpit paulatim per idem passum, vna enim pars caloris producit aliam in vicinâ parte materiae, & cum eâ facit vnum per se calorem: ergo illae partes caloris continuæ etiam ante omnem designationem sunt verè inter se distinctæ, quia verè vna est causa alterius, & producit illam: nemo autem se ipsum producit saltem per primam actionem; imò in sententiâ horum, contra quos disputo, nec diuinitus etiam per secundam actionem.

Quintò (& sola hæc ratio contra prædictam sententiam sufficit) nullus enim erit qui neget ante meam omnem designationem non esse tantum de aquâ in vnâ nuce plenâ aquâ, quàm sit in toto Oceano, aut hunc esse maiorem fonticulo: quòd si hoc negetur, satis est ad noscendam sententiæ falsitatem; ergo Oceanus ante designationem non est indiuisibilis, aliâs non esset maior. nam vnum indiuisibile non est maius altero, neque habet plus quàm alterum: vnde etiam si anima gigantis occupet plus loci quàm anima infantis, quia tamen est indiuisibilis, idè nec est maior, neque habet plus de animâ quàm anima infantis; ergo vel mare habet partes ante meam designationem, vt contendo, vel non est maius, neque habet plus de aquâ quàm passer in rostro, quo nihil dici potest absurdius.

Nec satis facit, dicere, mare idè esse maius, quia habere potest plures partes. Hoc, inquam, non satisfacit: nam si actu non habet plus, ergo actu non est maius, sed solum poterit esse maius, quia potest habere plures partes: ego autem dixi, absurdissimum esse asserere, mare actu, antequam ego designem, non esse maius quàm sit vrceolus, & tunc non habere plus de aquâ. Huic autem non respondetur per hoc quod possit habere, quia per hoc non tollitur actualis eius indiuisibilitas, & consequenter nec actualis æqualitas cum vrceolo.

Vltima impugnatio huius sententiæ est, quia argumenta illius nihil planè probant, & si aliquid, sanè contra ipsos. Dicunt enim, omnes partes aquæ vnitæ verè esse vnâ aquam, ergo illae partes sunt idem inter se. Quale argumentum? quod Primo ita retorqueo: Etiam post meam designationem, est ea aqua verè vna, ego enim non abstuli illi vnitatem aquæ; & tamen iam sunt multæ partes etiam per te: quid ergo ad hæc dices? Secundò, nõunc argumentum hoc eodem modo in animâ & corpore habet locum? Sicut enim lapis est verè vnus, ita homo est verè vnus homo; ergo ob hanc rationem, corpus & anima erunt inter se idem, sicut per te sunt partes lapidis. Nec sufficit si dicas, hominem esse totum heterogeneum, lapidem verò homogœneum; id enim facillimè impugnat, quia hæc differentia in præsentia nulla est. Sicut enim repugnat heterogeneitas totius sine distinctione, quia nihil indiuisibile esse potest sibi heterogeneum; ita eodem modo repugnat totum homogœneum sine partibus actu distinctis: quia sicut dissimilitudo, quæ est in heterogeneis, requirit distinctionem, ita eandem requirit similitudo totius homogœnei. similitudo enim semper est inter plura. Hinc conficitur argumentum contra eos, Quia à parte rei ante meam designationem vna extremitas papyri & fluminis, est similis alteri extremitati, ergo sunt actu distinctæ.

Denique, quòd putent se per hanc sententiam euadere continui difficultates, multò magis displicet, hæc enim non desumuntur, vt inferius constabit, nisi ex eo quòd amplius & amplius vnus atomus in infinitum sit diuisibilis, quòd à te non negatur, etiam si actu, antequam Angelus vel ego de illo loquamur, careat partibus, quòd ad nostrum intentum nihil planè conducit. Exterminanda ergo est hæc sententiâ à Philosophis benè & clarè discurrentibus, ac ponendæ sunt actuales partes in continuo inter se realiter actu distinctæ. Quo posito,

Celebris est sententiâ Zenonis, Pythagoræ, Leucippi, omniumque Stoicorum docentium, continuum finitum componi ex indiuisibilibus finitis. Eam defendunt recentiores multi & graues è nostrâ Societate.

Antequam inuehitur acriter Aristoteles, qui secundâ in hac re sententiâ auctor est, docens, continuum quodcumque, etiam atomum, constare in finitis partibus in infinitum sine fine diuisibilibus etiam per æternitatem. Hæc est, communissima sententiâ inter Philosophos, variè tamen explicatur. Quidam enim solas infinitas partes, alij partes & puncta ponunt. Hi verò rursus diuisi sunt inter se: quidam ea puncta ponunt inter partem & partem, alij verò solum ea vt rationes admittunt; alij tandem solum admittunt infinita puncta in continuo.

Post has duas sententias nonnullis recentiores, admittentes cum Zenone finita puncta, ea tamen posuerunt occupantia locum diuisibilem; qui nec omnino inter se conueniunt. Aliqui enim dicunt, locum illius puncti esse diuisibilem in quatuor vel quinque puncta; alij verò, diuisibilem in infinitum. Contra hos agam Sectione 9.

Materia hæc, vt supra dixi, planè est inexplicabilis, & quidquid dicatur, videtur euidenter reici: ergo proponam, quid circa istas sententias mihi occurrat, quid autem vltimò tenendum sit, dicam numero vltimo. Interim tamen ne tereatur quis, si aliqua argumenta euidentia esse dixerò: licet enim nobis euidentia appareant, certè non omnia talia sunt, ignoratur enim à nobis in hac materiâ principium aliquod, ex quo multorum argumentorum solutio penderet. Et quidem Primo dicam, quid in Aristotelis sententiâ difficultatem ingerat, quid deinde in Zenonistica.

SECTIO III.

In sententiâ Aristotelis partes proportionales & etiam determinate necessario videntur futura simpliciter infinita actu.

PRIMUM quod in Aristotelicâ sententiâ difficultatem parit, est, an partes continui sint simpliciter infinitæ. Negant id aliqui, eò quòd putent, admissâ eâ infinitudine, totam sententiam Aristotelis ruere. Alij melius eam concedunt, quòd iam in hac Sectione probandum.

Aduerte ergo, partes determinatas & designatas, eas esse, quæ designari & determinari possunt, habentque certam magnitudinem, v.g. homo ha-

bet sex, & non plures palmos in longitudine, isti palmi sunt inter se æquales determinati, & certæ magnitudinis, numeroque finiti. Aliæ sunt partes, quæ vocantur *proportionales*; quia proportionem seruata secantur in plures partes, vt palmus in duos semipalmos, & in quatuor medietates semipalmarum. Dicuntur *inæquales*, quia semper vna est minor alterâ; *communicantes*, quia vna accipit aliquid de aliâ, vt semipalmus de palmo; *indeterminate*, quia nullum habent terminum paritatis. Partes hæc inclusæ sunt indeterminatis, & ab eis saltem inadæquate distinguuntur, sicut materia includitur in homine, & ab eo solum inadæquate distinguitur.

Recentiores aliqui sunt valde solliciti, vt has partes proportionales finitas simpliciter ostendat, & infinitas solum secundum quid, & eo tantum modo, quo homo pictus secundum quid est homo: cuius rei eam reddunt rationem, quod partes proportionales omnes includantur simpliciter in partibus determinatis, ergo simpliciter & absolute non sunt plures quam determinatas, etiam si secundum quid, & cum addito sint infinitæ: postea verò late ostendunt, *secundum quid* & *absolute* esse terminos repugnantes inter se.

23 Ego benè admitto, *secundum quid* & *absolute* esse terminos repugnantes, sicut & alios quos ibi hi afferunt, nec in hoc est vlla difficultas: debuissent autem efficacius ostendere id conuenire etiam partibus proportionalibus; ratio enim illorum id non probat, quod ostendo euidenter, & simul proba, non solum partes indeterminatas, sed etiam determinatas esse omnino infinitas. Aiunt enim, Quia partes proportionales non sunt distinctæ à determinatis, non possunt esse absolute plures quàm determinatæ. Iam Primò hæreo in hac ratione, quasi quis diceret, Palmi non sunt distincti à totâ hominis statura, ergo quia statura est vna, palmi non erunt absolute & simpliciter sex, sed vnus. Ego non video, quæ sit hæc consequentia. Item, lateres sunt pars domus, & ab eâ solum inadæquate distinguuntur: item, materia & anima non sunt distinctæ ab homine, ergo, quia homo est vnus, materia & anima non sunt absolute distinctæ duo entia. Quis hoc inferet? Aut quia domus est vna, non erunt absolute & simpliciter nisi vnus later, & solum secundum quid mille aut duo millia laterum? Quis hoc, inquam, docuit? Ratio euidentis contra eam doctrinam est, quia pars proportionalis est minor quàm determinata, imò infinitè minor, etiam si sit aliquid illius, sicut media vna est aliquid minus quàm vna, etiam si sit pars illius. Vnde infero, Ergo numerus, qui absolute non conuenit maiori parti, conuenit minori absolute, & dicuntur absolute duæ vnæ, & absolute quatuor semiunæ: imò illi ipsi semiunam vocant partem proportionalem respectu vnæ, debebant ergo dicere consequenter, esse repugnantiam in terminis, dicere duas semiunâs, quia semiunâ est pars proportionalis vnæ. Imò tenentur fateri, etiam esse repugnantiam, dicere, Homo habet absolute multas partes determinatas, nam etiam ipsæ partes determinatæ non distinguuntur ab homine, vnde absolute non sunt plures quàm homo ipse; sicut indeterminatæ non dicuntur ab illis plures quàm ipsæ determinatæ: eò præcisè quod in illis includuntur. Constat ergo, ex hoc argumento

de continentia vel idemitate nullatibus euinci partes proportionales non esse absolute & simpliciter infinitas, etiam si determinatæ finitæ essent. Sed & has esse infinitas, probabo infra. Antequam verò probem posituè eas esse infinitas, suppono Primò, etiam in sententiâ Zenonis de punctis finitis, dari partes determinatas, v. g. in vna quatuor palmos; item proportionales, quia illæ diuiduntur in minores & minores, quæ etiam sunt inter se communicantes, nam vna accipit mediam partem alterius; item, & inæquales, quia semper diuiditur in minores. Quod si hoc fiat contenti Aristotelici, libenter Zenonistæ eis consentient, dummodò concedant tandem ita diuidi posse continuum, vt veniat ad vnâ partem duobus punctis tantum constantem, quâ diuisâ amplius iam non possit fieri maior diuisio: in hoc enim de re differunt hæ duæ sententiæ, quod vna eas partes infinitè diuisibiles, altera verò finitè tantum ponit. ex hac autem differentiâ videtur euidenter ostendi, Aristotelicos debere necessariò concedere, partes illas esse actu infinitas simpliciter & absolute. Pro quo

Suppono Secundò, eas partes vniri inter se per vnionem distinctam, & separationem illarum fieri per destructionem vnionis. In quo ferè omnes consentiunt, propter argumentum separabilitatis eius vnionis à partibus simul sumptis, de quo alibi. Sed licet hoc negetur, & fortè tam clare tunc non probetur ea infinitudo, probabo tamen illam etiam independentem ab hoc supposito.

Argumentor ergo sic: Ille cūmulus continet actu infinitas vnitates simpliciter & absolute, & non solum secundum quid, à quo si successiue vna vnitas post aliam auferatur, numquam poterunt illæ vnitates exauriri. Hæc est propositio per se euidentis, imò est ipsamet definitio infiniti, & ex hoc principio aduersarij probant, cūmulum hominum possibilem, quos Deus v. g. simul actu cognoscit per scientiam simplicis intelligentiæ, esse infinitum simpliciter, quia si de eo vnus post alium ad existentiam extrahatur, numquam poterit exauriri; non ergo est de hac propositione dubitandum. Venio ad Minorem, quæ est illorum sententiâ. Atqui Angelus secans continuum in minus & minus, quolibet quadrante horæ, vel singulis oculi ictibus vnâ dissoluens vnionem; separando partem à parte, numquam poterit omnes eas vniones dissoluere, sed semper plures & plures restabunt separandæ in eo continuo. Hæc est illorum doctrina, & in hoc solum, vt paulò antè dixi, differunt à Zenonistis, ergo in eo continuo erant actu infinitæ vniones auferibiles absolute & simpliciter, omnes autem antea erant ibi simul, ergo simul erant infinitæ vniones. Quod dico de vnionibus, dicitur etiam eodem modo de ipsis partibus. Nec potest responderi, eas vniones non fuisse antea omnes ibi: non, inquam, dici potest, quia dissoluendo continuum, non est producta vlla vnio, sed potius destructa. Nec Secundò potest dici, eas vniones fuisse quidem ibi, non fuisse tamen inter se distinctas actu: non inquam dici potest, quia (vt benè plerique eorum alibi docent) quæ semel realiter non distinguuntur, non possunt vllâ potentia fieri distinctæ; & inde probant, partes compositi actu esse distinctas, quod nos fusiùs Sect. 2. ostendimus.